

# DEUS adjutorium meum.!

Παρασκευή.

**R**andectæ nobis sacræ loqvuntur (a) quod DEUS Optimus Maximus, postquam mundum, quæq; is continet, condiderat, hominem pro ineffabili suâ bonitate in eundem introductum Dominum constituerit, adeoq; generaliter jus in res hujus inferioris naturæ ei contulerit; quod ipsum post dissipatas diluvii aquas denuò est factum. (b) Hoc jus, quo in res creatas homo existâ Dei concessione utitur, sine dubio in naturali ratione fundatur, adeoq; rectæ rationi ac divinæ voluntati est congruum, quia ratio ipsa, quâ homo solus reliquis animantibus antecellit, est à Deo. Duo autem omninò fuerunt modi, quibus istud jus in actum potuerunt deducere homines, primo, eundo in proprietatem, ipsamq; sibi acqvirendo, secundo, nudam ex rebus utilitatem percipiendo, proprietate in communi relicta: posterior hic placuit maximè primis mortalibus; (c) Ex quibus apparet, quod juxta divinæ traditionis formulam primis mortalibus universa terra simpliciter fuerit subjecta, qui tamèn eâ fuerunt simplicitate, ut in commune colligere maluerint; (d) Ex quo tamèn inferendum non est, quasi in initio rerum nihil proprii fuerit; quicquid enim vitæ ac corporis requirebat necessitas, illud utiq; ratione usus, qui in rebus fungibilibus in abutendo consistit, in individuo factum est proprium: deinde rei immobilis à quoquam occupata usus proprius, usq; dum illà re uteretur, cessit occupanti. Etenim simul atq; quis re semel occupatâ non